



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 56. [i.e. 154] Congretatis ergo illis, dixit eis Pilatus. v. 17.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

impios magistratus optemus Pilato non peiores, aut imprudentiores in prima sui processus parte: nam considera quæso quanta prudentia insonem Christum liberare studeat. Cum enim vi ac potestate morali hoc non posset, ob tumultum seducti populi & Pontificum potentiam & importunitatem, rem prudenti consilio ac iudicio aggreditur, consuetudinem proponens, & ipsis quidem satisfacere volens, etiam antequam petatur, nam sperabat fore ut animos Iudæorum sibi hac parte promptos & obediētes faceret ad dimittendum Iesum, quod consuetudinem eorum quamvis Ethaius tanta promptitudine veluti confirmaret & non nihil videretur voluntati ipsorum favere, hæc videns & intelligens vehementer miror, certè vehementer.

Domine, consuetudines pias & festivitates Ecclesiæ sanctæ tuæ observem obsecro semper & devotè, ut vincat ego in iis, à peccatis præteritis præsentibus & futuris periculis insuper animæ & corporis liberari per te mereat, ut tibi gratias referendo magis magisque serviam, & sic solemnitates speragam hic, ut æternas mereat videre & eis interesse in cælis. Sed & prudenter me geram & ubi directe iustitiam nequeo obrinere, saltem accommodem me, captui hominum, & velificando prudenter, eandem obtinere, semper laborem.

§. 13. *Habebat autem tunc insignem vincum, qui dicebatur Barabbas.*

At cur anne dicit Evangelista hic nomen *vincum*, & epitheton *Insignem*, ut notam faceret toti mundo comparationem eius factam cum Iesu, quæ ille insignis adeo latro, notus suis sceleribus horrendis & maximis obnoxius pænis, dignusque qui per totam civitatem potius debuisset eligi, ut moreretur, quam ut Iesus innocens & benefactor damnaretur ad mortem nihilominus est absolutus. Ideoque ad notitiam & clariorem sensum ponit Evangelista nomen, *latronis, vincum* & vocem, *Insignis*, ut maior Iudæorum appareat malitia qui huic talem Christo propulerint. Interpretatur autem Barabbas, filius patris, nempe diaboli vel Adam prævaricatoris cuius filiorum vicem iste unus insigniter gerebat.

Domine absit à me, ut ego velim unquam comparare tenebras cum ipsa luce; iniustitiam cum æquitate malum cum bono, temporalia cum æternis, & multo minus illa his præferre in animum indicam.

§. 56. *Congregatis ergo illis, dixit eis Pilatus. v. 17*

Quibus congregatis nisi principibus Sacerdotum, & senioribus accusantibus, manebant enim & non recedebant à prætorio, quia metuebant

N

ne si-

ne sibi præda elaberetur. loquitur ergo eis Pilatus, tanquam congregatis nomine totius populi, qui iam alia de causa nempe adversus Iesum, erant congregati.

Vide hic anima mea, Pilatus adhuc stat pro iustitia Christi, & quem ex iustitia non audebat liberum declarare, ex medio aliunde sumpto propter Festum scilicet solemne Iudæorum Paschatis iuxta morem vult liberum esse, ita tamen ut prius assensum darent principes congregati. Hinc paulatim peccavit Pilatus & reus factus est mortis Christi, quia non simpliciter propter iustitiam liberabat Christum, quem sciebat innocentem, sed simul voluit Iudæis placere propter metum honoris sui perdendi, ideo incipiens quærere voluntatem principum demum eo pervenit, ut faceret voluntatem eorum uti mancipium, iudicans eum reum esse mortis ob ipsorum instantiam solum.

O Domine in omni consilio & actione innitar obsecro veritati soli, & puræ iustitiæ, ita ut potius eligam mortem, & perditionem honoris & bonorum, quam ut velim iustitiam cum hominum placito sive in publicis sive privatis negotiis copulare, quia hæc plerumque ita constituta sunt, ut copulari non possint, cum prava sint hominum corda, iustitia autem Domini recta.

§. 156. *Quem vultis vobis dimittam? Barrabam? an Iesum quem dicitur Christus?*

Ecce propositionem Pilati in congregati omne Principum Iudæorum, Ecce comparationem inter Iesum & Barrabam! quæ autem conventio inter Belial & Iesum? inter iustum & iniustum comparatio esse potest? Barabbas enim nomine est filius patris. Sed cuius? utique diaboli vel Antichristi, Iesus vero Salvator filius Dei est: Barabbas homicida est & latro & seditiosus, Iesus benefactor Iudæorum, conservator & pacificus. Ideo Barabbam quo nemo tunc in carcere erat lælestior Pilatus facit æqualem Christo, quo nemo melior, ut moneat Principes ad commiserationem, iustitiam & dimissionem Christi, quis enim mallet vivere latronem, magis quam morborum curatorem, imo mortuorum excitatorem? quis seditiosum, quam pacificum? &c. nemo sanæ mentis crediderim: sed obsecro videte ad quam mentis insaniam & furorem pervenerint principes Iudæorum? Ethnicus alienigena Romanus movetur misericordia & iustitia: Iudæus cognatus, popularis & vera religione institutus non movetur, sed magis accedit ad iniquitatem super iniquitate, eligendo potius filium Belial, nempe Barrabam latronem insignem, quam filium Dei benefactorem optimum. Reipublicæ ad vitam.

O Iesum